Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Ierarchia quid sit

propositae theologus disseruit. deinde nunc principalem narrationem ingrediens primum diffinit quid sit ierarchia non universaliter tamen. sed secundum eam tantum quae in angelis et hominibus constat ierarchiam significatione restricta. Est quidem ierarchia secundum me ordo divinus et scientia et actio dei formae quantum possibile similans. et ad inditas sibi divinitus illuminationes proportionaliter in dei similitudinem ascendens. Quod autem secundum me ita accipiendum est. ac si dixisset secundum existimationem meam. Pudice enim temperat assertionem suam. ne de sua existimatione plus iusto praesumere videatur. Deinde tria in diffinitione ierarchiae principali proponit. quae perficiunt ipsam ierarchiae diffinitionem. Sunt autem haec ordo scientia et actio. horum trium si defuerit unum aliquod. non constat ierarchia. Primum est ordo divinus. quia non est potestas si ordinata non est a deo. Propter hoc autem ordo divinus. Omnis enim potestas a deo est. et quae a deo sunt omnia bona sunt. Propterea qui potestati resistit a deo ordinatae. deo resistit. Propter hoc quod ierarchia est ordo divinus .i. potestas a deo ordinata et secundum deum disposita. A deo quippe est per ordinationem. et secundum deum est per imitationem. Propterea ordo divinus quia a deo est ut sit. secundum deum est qualis et quantus sit. Deinde quia omnis potestas quae a deo ordinata est ad aliquid perficiendum atque complendum ordinata est. Sequitur in diffinitione post ordinem scientia et actio. Scientia quidem qua quid faciendum sit intelligant. actio vero qua quod intellexerint agendum perficiant. In ordine officium in scientia discretio. in actione ministerium. Sine ordine praesumptio est actio. sine actione negligentia est ordo. sine scientia vero et actio reprehensibilis et ordo inutilis. Propter hoc ierarchia est ordo divinus et scientia et actio. Ierarchia dico tam in ordine quam scientia et actione. similans dei formae hoc est conformitatem dei imitans quantum scilicet possibile illi est. Et ascendens in dei similitudinem proportionaliter ad illuminationes id est secundum illuminationes divinitus ei inditas. unaquaeque scilicet secundum modum et mensuram gratiae divinitus ei infusae in ordine suo perficiens et ascendens ad imitationem dei ut recte discernendo et bene operando ipsum imitetur. In utroque enim divinam similitudinem emu-